DE METRITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN...

Petrus Faitini

Digitized by Google

19

DE METRITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN MEDICINA

HONORES OBTINENDOS PUBLICE LEGIT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PETRUS FAITINI

BRIXIENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXXI

Faitini

Digitized by Google

414

Digitized by Google

Uterus quovis Medicinae tempore unam ex illis organismi viventis partibus constituit, quae insuperabilem quasi, aut sane arduum scopulum exhibuit subtilioribus investigationibus excogitantium magis et introspicientium, qui phisiologicas scientias recoluerunt. Ejus in generationis opere functio densiora inter et abdita naturae misteria adhuc latitat. Quamvis enim pulcherrimae observationes et experimenta permulta quorumdam summorum hominum non nihil lucis quoad ejus phisyologiam intulerit, nihilo secius laudabiles tantum hypotheses recensentur; facta vero certa, positiva, et hisce diebus desiderantur.

Neque densae minus tenebrae noscuntur, quibus perscrutator medicus obvolvitur, dum morbos qui hoc viscus corripiunt, tendit, detegeri, et mederi. Morbi forma nulla extat, quam uterus fingere ne-

Digitized by Google

queat, nullum habetur symptoma, quod ab illo non possit moveri, atque facilis haec mobilitas, haec proteiformis incostantia, adeo minus audentium mentem potuit occupare, ut phaenomenorum desides inertesque spectatores moverent, quae nunquam explicare ausi sunt. Quin immo vago *Hysterismi* nomine, dum hinc propriam texerunt ignorantiam, eo magis illinc propriis oculis celarunt id, quod inutile opus inquirere putarunt. Morbus autem hujusce visceris cognoscitur, qui cum certus sit, neque difficilem diagnosim offerat, quandoquidem curanti victorias concedit, quae ab aliis sperare saepissime negatur.

Metritidis vocabulo venit, atque hoc de argumento aliqua proferre in animo est, quoad ejus symptomata, causas, decursum et curationem *Metritis* sibi nihil aliud vult quam uteri inflammatio. Quam facile visous hoc in hunc morbum incidere possit, nemo est qui non videat, si animadvertit functiones omnes quibus praeest, quas saepe ad exequendas incitatur, exaltatur. In virginibus hoc sane raro evenire consuescit (neque ullum, quod sciam, a practicis exemplum nobis usque nunc traditum fuit) : nam tempus, quo majorem mulieres ad hunc morbum habent proclivitatem, in gestatione, et partu praesertim occurrit.

Symptomata, quibus uteri inflammatio Medico-

Digitized by Google

rum oculos subit, variant prout integrum viscus afficiatur, aut variae ejus hinc, inde partes corruptae sint. Nihilominus tamen febri acuta remittenti plerumque comitatur, anxietate, dolore ardenti fixo, sub pressione crescenti, sub attactu oris uteri atroci.

Phlegmonosa nunc, nec *Erysipelatosa* phlogosis est; *Primaria* etiam a *Symptomatica* discriminatur.

Quo major morbi impetus est, et vividius foeminam horror et anxietas invadunt. Calor hinc subsequitur, pulsus in morbi initio semper magnus, frequens, qui in robustis ad finem usque idem servatur; in debilibus vero parvus, ac debilis inde sentitur. Dolor fixus saevit illos partus simulans; ardor deinde oritur intolerabilis, cruciatus passim insurgunt. Sin gravida pridem foemina erat, pulsans magis, et fixior dolor inhaerit; pulsus plenior est, ac durior. Abdomen in puerperis naturaliter tumet, sed molle percipitur; in metritide vero vix augetur, et tantum si fundus praecipue detinetur, tumor super pubem sentitur parum expansus. Sin collum magis affectum sit, explorantis digiti attactum minime patitur, et sensibilissimus in vagina calor adest. Utrumque latus intensa magis propria in regione symptomata ludit. Quoad consensus phaenomena recensentur; nausea, vomitus, jactatio, mingendi, et alvum evacuandi frequens desiderium; alvus tamen aut fluida nimis, aut obstipa. Mammae quandoque tu-

Digitized by Google

418

ment, et dolent; non raro vero flaccidae fiunt. Sitis ingens urget; cephalaea, lingua sicca, faciei rubor, pervigilium, suspiria, dyspnoea; pleuriticus insaevit dolor ad claviculas extensus, tussis sicca, molesta; hipochondriorum tensio. In scenam prodeunt insuper tendinum subsultus, meteorismus, convulsiones; pulsus contrahitur, intermittit, frequentissimus fit; extremitates rigent, gangraenae sub intensissimo frigore efformatio dignoscitur; humoris foetentissimi fluxus ex vagina, lipotimiae, dejectiones involuntariae, sopores, mors ipsa demum phaenomenorum sindromen claudit.

Observatum non semel est, Metritidem quandoquidem epidemice grassari. Febris autem anni constitutionem sequitur; a varia causarum vi ejus impetus et decursus dependent.

Causae hunc morbum producentes aliae proegumenae, aliae procatarticae recensentur. Quum enim alias idem morbus apparuerit, aut abortus enatus sit, aut irritans stimulus in diuturnum egerit, sat est cur in hunc morbum dispositio habeatur.

Procatarticae causae eaedem sunt, quae quemvis alium phlogisticum processum incendere valent. In primis praestant, lapsus gravidae contusiones, vulnera, compressiones. Abdomen fascis arctius circumdatum perinaei vaginae laceratio, peritonaei aut in-

Digitized by Google

testinorum inflammatio, cistitis, hepatitis, splenitis, ovaritis; versio ruditer peracta, et instrumentorum minus cautus et indiligens usus. Ad rem hic loci monendum esse puto, chirurgos haberi qui ut, qua pollent dexteritate, demonstrent, cito nimis ad forcipis adplicationem deveniunt. Aliae insuper causae enumerantur in partu difficili, et diuturno; in suppressione repentina lochiorum, menstruorum, aut cujuslibet aliae suetae sanguinis evacuationis ob iram, terrorem, aut frigus aestuante corpore genitalibus imprudenter admotum.

Prognosis variat pro variis, a quibus premimur, circumstantiis; prout morbi decursus mitis, aut violentus procedat, prout causa, a qua morbos progignitur, vehemens fuerit nec ne, prout aegrotantis sensilitas, aut constitutio firma, aut debilis pateat, prout epidemica constitutio aliis in casibus valuit. Continuo enim mente erit retinendum quod celebratissimus Petrus Frank scriptum reliquit: " *Periculo plenus Metritis morbus est, ex quo si violentius evadat, paucissimae arte emergunt* ".

Periculum majus habetur si ad fundum phlogoseos flagrat processus; quoniam si in abscessum morbus vergat, in abdominis cavo materiae effluent, et vastationes, quae inde exoriuntur, lethalem exitum inducunt; exempla tamen leguntur abscessus, qui in uteri cavitate aperti sunt, atque ex orificio ejus

Digitized by Google

420

materiae educebantur; quo in casu certe melius ominari datum est. Resolutionis exitus conspicitur quum intimam uteri superficiem phlogosis corripuit, lochiis perabunde fluentibus, aut foetentis humoris et sanguinolenti ex vagina, vel alvo fluxu comparente. Accidit quoque, quod morbus hic evanescat phlogistico processu alia in regione insurrecto.

Suppurationis exitus a Medico cognoscetur a symptomatum cunctorum moderatione, a febris et doloris imminutione, postea quam punctorius magis insaeviebat; a tumore abdominis, qui et hydropem mentiri visum fuit ob excretionibus praepeditis, a pulsu frequentissimo et parvo. In indurationem etiam Metritis finit, quod dignoscetur a symptomatibus alios exitus offerentibus defectu, et ab ipsa exploratione qua duritiem deteget. Haec indurationis species confundi solet cum Scirrho, qui tamen aliam plerumque causam habere videtur.

Gangraenae demum intensissimus exitus, frequentissimus occurrit. Ejus signa sunt, omnium phaenomenorum intermissio, alvi fluxus cadaverosus, niger, involontarius, doloris, et ardoris cessatio; pulsus intermittens, minimus, frequentissimus, extremitates frigidae, viscidissimi sudores, lipothymiae, convulsiones; quo sub symptomatum apparatu miserrimae vitae aegrotans summum explet articulum.

Restat nunc ut aliqua de convenienti curatione

Digitized by Google

in medium proferam. Quum difficile et arduum opus morbum hunc praesentem sanare sit, solliciti medici erit illum praecavere. Ad hoc itaque, quae causae cunctae enumerantur ad illum producendum aptae, erunt abigendae; lochiorum fluxus servandus, lactis secretio promovenda, aut si hoc fieri nequit, apto regimine diaetetico, alvi functionibus ad normam retentis, illi secretioni supplere oportebit. Sin vero in virgine hoc contingat, robusta, plethorica, aut post abortus, quin tamen excedens habeatur sanguinis fluxus, ad antiphlogisticum methodum statim confugiendum, qua inflammationes cunctae vinciuntur, prosternantur. Complicationes quaecumque sint, summopere hoc in morbo timendae. Gastrica colluvies lento passu tollenda, ut imprimis Baglivi illustris monitum docet. In sensiliori animadvertet medicus, ne nervosae febris ingruant symptomata. In omni causa vero princeps remedium est venae sectio, ubi praesertim pulsus duri, vibrantes febris continuae phlogosim comitantur, *omne hic artis auxilium quaerendum est.* Nihil interest quod aliquod ad cutim exanthema appareat; quum verae metritidis symptomata ostendantur, venae sectio non differenda; *sed sanguinis portio violentiae morbi superandae non impar, nec tarda nimis manu detrahenda est.* Frank P. scripsit.

Conducunt praeterea emollientes, injectiones in

Digitized by Google

422

vagina, aut lintea mucilaginosis et emollientibus imbuta admovere. Diaeta sit admodum severa, jusculis confecta. Potus insuper acidi nitrici, optime ad infringendam morbi vim valent. Neque usquam ab antiphlogistica et deprimente methodo abstinendum erit, nisi phaenomena cuncta, et mitiora omnino sopiantur, componentur.

Temperamentum asthenicum, irritabilis nimis corporis compages, aut debilis, medici manum regent, nec vires nimis infringentur, aut lochiorum secretio alibi divertatur. Sit semper modus in rebus. Hinc tali in casu potius quam et ultimae phlogoseos reliquiae lanceolae cuspide insequentur, cutis functio diapnoicis incitetur, alvus leniter ducatur, urinae secretio augeatur. Sit cura etiam, ut omne id, quod odorem quemcumque spirat, vitetur, ne ut (praeconceptae opinionis auxilio) nervosae turbae misceantur. Quod si et hae insurgunt affectiones, aptiori methodo sedanti erunt avertendae. Si suppurationis exitus prodeant signa, tum primum oportet, materiam ex utero et vagina educere, processum inde praecipue diaeteticis moderari; viribus tamen aegrotantis hoc in casu valdopere respiciendum.

Haec quae apud Auctores leguntur de Metritide, recensere hac ego tam solemni die curavi, ut mei muneris officium quodammodo explere possim. Nihil enim novi a Medicinae tyrone expectandum, quam,

Digitized by Google

et peritissimi et exercitatissimi in praxi nihil utilitatis addent, sibique saepe satis habeant pro verbis, non de re medica certare. Quum interim scriptoris laudem non inquiram, non ingratiis Coactoris titulum accipiam. Scio equidem quod

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Terent.

Digitized by Google

424

THESES

I.

In aneurysmatum curatione compressio primo est tentanda.

II.

In morbis omnibus et organisatio, et vitalitas simul laesae sunt.

III.

Clima temperatum vim majorem hominibus impertit, et animi, et corporis.

Digitized by Google

Digitized by Google